



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV**

**Muret, Marc-Antoine**

**Antverpiæ, M. D. LXXXVI.**

Cap. 5. Plauti loci aliquot illustrati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

berendum eis τὴν λαγὴν ὁσυχὰς ἀφ' ἑαυτῶν, id est, ad qua-  
tur passus. Quare aut scdè erravit Plinius, aut quod  
remus puto, peccatū est à librariis: & vbi legitur IIII.  
gerum, legendum est IIII. orgiarum. Quod autem  
orgiæ nomen in Latinè loquentiū consuetudine non  
esset, eam erroris causam fuisse librariis arbitror.

Plauti loci aliquot illustrati. CAP. V.

EPICHARMVM tradidit Aristoteles, & post  
Eum Demetrius in commentario. περὶ ἑρμηνείας,  
nihil captandi causā, interdū sententias quasdam ita  
reformasse, vt è contrariis constare viderentur, cum  
tamen in eis bis idem diceretur: quarum exemplum  
hic vterque ponit: Τόχα μὲν παρ' κοίνοις ἐγὼν λέω, τόχα δ'  
παρ' ἑνὸς ἐγὼν. Ita enim legendū est, vtrochaici me-  
tratio cōstet, quo gaudebat Epicharmus. Risum au-  
tem commouet illa stultitiæ imitatio, καὶ τὸ ᾄδω, ᾄδω  
ᾄδω: cum auditor qui aliquid aliud expectabat, sua  
se spe delusum videt, quo in genere facetissimum est  
illud Ciceronis ad Atticum: Noli putare, pigritia facere  
me, quod non mea manu scribam; sed me hercule pigritia:  
nil enim habeo aliud quod dicam: Et tamen in tuis quoq;  
epistolis Alexim videor agnoscere. Plautus autem, quem  
laudat Horatius ad exemplar Siculi properare Epicharmi,  
et frequenter ita ludit: & interdum sine illa simulata  
contentione contrariorum, ridiculi causā eiusmodi  
emendationes ponit, in quibus, vt dialecticorum more  
loquitur, idem sit τὸ κληροῦμένον τῷ ἑσπεριμένῳ, idq; non  
nunquam paulo aliis, non nunquam etiam planè iis-  
dem verbis. Sic ille in Curculione leno:

Quoi homini di sunt p. spitiy:

expectes dum dicat, ei omnia succedant sub ma-  
num: aut aliquid eiusmodi. at ille,

ei, inquit,

Plauti  
lectiones  
III  
28

ei, inquit, non esse iratos puto.  
quod tale est, ac se quis diceret, Vinum quod album  
nigrum non esse arbitror. Itaque ridiculè quidam  
acutus esse voluit, & argumentari eum, à contrariis  
dixit. Simile illud è Sticho:

*quanta mea sapientia est,  
E malis multis malum quod minimum est, id minimum  
est malum.*

Talia erant illi quæ ridentur in Stoicis: *Si dies est  
est. Est autem dies. Est igitur dies.* Cui enim dubium  
esse potest, quin quod malum minimum est, id  
minimum malum? Sed sunt quidam *καπιτιοροι*, qui  
hæc perinde accipiunt, ac si serid dicerentur. Simile  
est illud è principio Captiuorum:

*Hos quos videtis stare hic captiuos duos,  
Illi qui stant, hi stant ambo, non sedent.*

Hoc enim dicit, eos captiuos qui illic stant in conspe-  
ctu omnium, eos igitur stare, non sedere. neque  
dictum est, Hos duos captiuos, pro horum captiuorum  
duorum, vt quidam putat: sed talis verborum con-  
structio est, qualis illa,

*Urbem quam statuo, vestra est: & illa,*

*Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedisti?  
& in Amphitruone,*

*Naucratem quem conuenire volui, in naui non erat.*  
Deinde, quasi res dubia sit, aut testibus egeat, itidem  
risus causa,

*Vos vos, inquit, mihi testes estis, me verum loqui.*

Vbi, *Vos vos*, valet vosmetipsi: quomodo memora-  
uimus me ipsum, & *tete*, teipsum. Hæc omnia pro-  
termisissimè, vt per se vel pueris nota, nisi istos  
& quorundam opinione Lynceos nihil in eis vidisse  
vidissem.